

The Electronic *Manipulus florum* www.manipulusflorum.com

Discere h cum uariis

Quid est quod ex tanta turba discencium quorum multi et ingenio pollent et exercicio uigent tam pauci inueniantur quibus ad scienciam peruenire contingat? Sciendum est quod in quolibet negocio duo sunt necessaria, opus uidelicet et ratio operis, que ita sibi connexa sunt ut alterum sine altero aut inutile sit aut minus efficax. Verumptamen melior, ut dicitur, prudentia est fortitudine quia et pondera aliquando que uiribus mouere non possumus, arte leuamus. Sic nimirum est in omni studio. Qui sine ordine et discrecione operatur, laborat quidem sed non proficit, et quasi aerem uerberans uires in uentum fundit. Aspice duos pariter siluam transeuntes et hunc quidem per deuia laborantem, illum uero recti itineris compendia eligentem, pari motu cursum tendunt sed non eque perueniunt. Quid autem scripturam dixerim nisi siluam cuius sentencias quasi fructus quosdam dulcissimos legendi carpimus, tractando ruminamus? Qui ergo in tanta multitudine librorum discendi ac legendi ordinem non custodit, quasi in densitate saltus oberrans tramitem recti itineris perdit et, ut dicitur, semper discentes et nunquam ad scienciam peruenientes. Tantum enim ualet discrecio ut sine ipsa et omne ocium turpe sit et labor inutilis.

Hugo ibidem libro V.

Varia in MANUSCRIPTIS (B C M) et in IMPRESSIS (P V¹ V² L¹ L²):

connexa] annexa P V¹ V² L¹ L²; pondera] apponenda P V¹ V² L¹ L²; in] ex M, omni *add.* (*del. sub lin.*) B; proficit] perficit P V¹ V² L¹ L²; aspice] de *add.* (*del. sub lin.*) C; siluam *om.* C; legendi] legendo P V¹ V² L¹ L²; in densitate] indempsite M